in omnium carne quicumque nati sunt et nascuntur et mortui sunt et morientur
nullo modo christianum dubitare debet. Unde primo occurrit de abortiuis fetibus questio qui iam quidem nati sunt in uteris matrum sed non iam ita ut
possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus de his qui iam for-
mati sunt tolerari utcumque potest quod dicitur. Informes uero abortiuos quis non proclivi-
us perire arbitretur sicut semina que concepta non fuerint. Sed quis negare
audeat etsi affirmare non audeat id acturam resurrectionem ut
quicquid forme defuit impleatur atque ita non desit perfectio que accessu-
ra erat tempore quemadmodum non erunt uitia que accesserant tempore ut neque aptum
et congruum dies allaturi fuerant natura fraudetur, quod eo contrarium et aduersum
dies attulerant natura turpetur sed integretur quod nondum fuerat integrum sicut instau-
rabitur quod fuerat uitiatum. DE ABORTIVIS ET MONSTRIS VIRORUM RESURRECTIONE.

Sed perscrupulosissime quaeri inter doctissimos potest et disputari. Quan-
do incipiat homo in utero uiuere utrum sit quedam uita occulta que nondum motibus uiuentis appareat.
Nam negare uixisse puerpera que membratim excecantur et eiciuntur ex uteris
pregnantium ne matres quoque si mortua ibi relinquantur occidant
impudentia nimia uidetur. Ex quo autem incipit homo uiuere ex illo utique iam mori potest. Mor-
tuus uero ubicumque mors illi potuit euenire quomodo ad resurrectionem mortuorum non per-
tineat reperire non possum. Neque enim monstra que nascuntur et uiuunt quamlibet cito mo-
riantur aut resurrectura negabuntur aut ita resurrectura credenda sunt ac non potius
correcta emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem qui nuper natus est in oriente
de quo fratres fidelissimi qui eum uiderunt retulerunt et beate memorie Ieronimus presbyter scriptum re-
liquit. Absit inquam ut unum hominem duplicem ac non potius duos quod futurum fuerat si
gemini nascerentur resurrecturos existimemus. Ita cetera que singuli quique partus
tamquam aliquid plus uel minus habendo uel quia nimia deformitate monstra dicuntur
ad humane nature figuram resurrectione reuocabuntur ita ut singule anime
singula sua corpora obtineant nullis coherentibus etiam que coherentia nata